



CAnutus ex illustri Danorum principum familia prognatus, ob plurimas corporis & animi uirtutes rex Daniæ electus, & cognomento Magnus dictus fuit. Is omnes suos antecessores rerum gestarum gloria longè superauit, atq; perpetuis uictorijs Daniæ regnum plurimum extulit. adeo enim operum eius magnitudinem propitiæ famæ fides auxerat, ut passim per Europam magna eius esset authoritas. Siquidem sanctitate & fortitudine instructus non minus religionem quàm regnum protulit. Ecclesias etiam multas hinc inde per suam ditionem erexit, ac amplis stipendijs & priuilegijs exornauit. hinc factum cum aliorum splendorem igno-

rantia obscuritas & uetustatis rubigo perederit, huius decus longa famæ usurpatione subnixum perpetuis memoriæ fructibus reuiescat. Is enim Osmondum Suetiæ, & Olaum Noruagiæ regem deuicit, ac imperata facere coëgit. Milites etiam in magna existimatione habuit, atq; fortissimo cuilibet munera distribuit, proteruos aut in ordinem redegit. Tandem in Gallos expeditionem suscipiens, graui morbo pressus obiit, atq; Rothomagi sepultus quiescit. Huius filiam Gumildam Henricus 3. Cæsar uxorem duxit. filij uerò Haraldus, Canutus, & Sueno inter se regna diuiserunt. Sax. Gram. lib. 10.